Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

Reden und Arbeiten der Societas Latina - Cod. Karlsruhe 3420, 1-4

49 Vorträge in wörtlicher, meist eigenhändiger Wiedergabe - Cod. Karlsruhe 3420,1

Sonntag, Karl Gottlob

[Karlsruhe], 1772-1776

[Kramer, Carl Friedrich: De Sapientio et Eloquentio studio ite jurgenso dixit, 14 [...] 1775

urn:nbn:de:bsz:31-99825

Visual Library

De Sapientiâ et Eloquentiâ
Studio rite jungendo
dixit.
F. C. Kramer
d. 14ten Sept. 1775.

2368 I or

DIRECTOR GRAVISSIME
SODALES Honoratissimi!

Quæ Natura sua, vel maxime copulata sunt, ut non sine alterius detrimento alterum divelli queat, ea sejungere, atq; dirimere, vitiosissimum esse, nemo est, opinor, qui non intelligat. Neque vero id raro accidit, tum in aliis rebus, tum imprimis in diversis studiorum generibus. Quæ, quum indissolubili vinculo contineantur nihilo tamen secius divisa sæpenumero, ex parte neglecta sibi invicem officiunt. Quidquid vero in studium hominis cadit, id omne aut inspectione & scientia absolvitur, aut in actu & opere positum est. Utrinq; peccant, qui neglectis subsidiis, quæ rite intelligendis rebus, vel peragendis præmuniuntur, scientiam quærunt, vel opus perficere conantur. Ponite AUDITORES Theologum fieri velle, qui Philosophiæ præceptis mentem non imbuerit, neque saluberrima hac Magistra pervenerit eo,

ut arduas veritates, & multis difficultatibus implicitas, perspicere, & contra adversarios, subtiliter acuteq; disputantes, defendere valeat; non modo ejus studii nullum omnino fructum esse posse, sed non leve etiam rei sacræ detrimentum adlatum iri confitebimini. Similiter, qui Historiæ student, omisso temporum ordine, vel locorum notitiâ, quibus quoq; res gesta est, non potest fieri, ut in eo studio proficiant, sed confusa sit & permixta, necesse est, omnis illorum cognitio. In eodem sunt errore, qui, quum officiis, qualia ratio, & Religio proscribit, vel maxime obtemperare nituntur, omnem veluti operam, ad unum modo, alterumve eorundem genus convertunt, ommissis cæteris aliquando & gravioribus. Quod vitium, qui vult vitare, intelligat, quarumlibet bonarum artium & disciplinarum esse quoddam vinculum, sed ali:

quas sibi esse propiores, adeo, ut nullus earum cultus esse possit, nisi una retinentur. Atque haec ratio est, illius potissimum studii, quo efficere conamur, ut in dicendo pariter, & intelligendo valeamus. Quare mihi de Sapientiae & Eloquentiae Studio rite jungendo dicere, coram Vobis Auditores, instituenti, benignas praebeatis aures observantissime rogo.

Ejus vero rei, quo ad dicendum mihi proposita est, duplex omnino ratio ponetur, quoniam & Eloquentia Sapientiae praeceptis destituta omnem dignitatem decusq suum amittet & Sapientia minus valebit, detractis dicendi viribus.

I, Primum igitur illud sit, ut demonstrem, quod vere eloquens nisi Sapiens, non sit. Quare ego hic sentiam tribus potissimum caussis, me adductum

esse sequentia docebunt. Nimirum, inanis loquacitas, a Philosophia remota, primo illusio potius, quam ars est: dein tam longe abest, ut tali dicendi facultate ingenia juventur, ut potius deprimendis iisdem & corrumpendis, maxime inserviat; porro etiam plurima illinc, & in singulos homines, & in universas quandoque civitates mala proveniunt. Manifestum est autem, qui non secundum Sapientiae praeceptum dixerit, hoc eum imprimis agere, ut audientium animis imponat, offusa veritatis specie, quo vult ipse, pertrahat, & pravitate suae artis impediat, quo minus vera rectaque sequantur. Neque vero finem propositum consequetur, nisi, aut inscitia aut imbecillitate aliorum acciderit, ut in partes pravi oratoris concedant. Quodsi enim apud peritos & fortes dicendum est, vereri is debet, qui verba inania jactitat,

ne non moveantur, si ratio, mens, sapientia abfuerit. Verum eloquentiae nomen profecto ei negandum est, cujus ars in hoc tantum valet ut imperitorum aures, parumque validi animi aut fallantur, aut in pejus sequerogantur. Oratoris officium debet esse, recte sentientium & intelligentium animos, dicendi viribus permovere, veritatique per omnia ministrare. Quod fieri nullo modo potest, nisi imprimis sapienter dixerit.

Sequitur illud, quod dixi: malam Eloquentiae imitationem ingenia corrumpere. Ac primo quidem, ille ipse, qui dicendi facultatem exercet, nec sapientia instructus est, quae sola, quid Oratori subjiciendum sit, commonstrat, periculum incurrit, ne, dum # in rebus humanis veritatem superesse putet, sed prope cuncta dubia reddat, & ambigua. Itaque quisque intelliget, orationem fictam, ad veri similitudinem admotam, re ipsa vero dissimillimam, posse eo valere, ut, qui

in rebus speciosis semper versatus falso ita assuescat, ut ad extremum aut non possit videre verum aut non velit. Quo fit fortasse, ut ejusmodi genus hominum vix ullam in //

crebrius ea utitur, & operam ibi consumit, animus illius pessimam hinc labem, & insignem foeditatem contrahat. Ecquid enim nocentius, aut indignius acuti ter: ipsius eo habeatur, quum quis ab amore veritatis & intellectu ita longe recessit, ut ipse se erroribus & discordantium specierum conflictu, quo mens exaestuat, liberare vel explicare non possit. Verum eorum quoque qui audiunt animi ex pravo isto dicendi studio, insigniter corrumpi solent. Multi quippe sunt, veritatis parum studiosi, neque eo sapientiae provecti, ut ab oratoris fraudibus sibi caveant, qui quidem tali specie, & externa quadam forma plerumque alliciuntur, sibique in hoc magnam laudem proponunt, si imitatione partem aliquam adsequi contigerit. Sic veritatis studium & ardua rerum inspectio negligitur, atque simul cum his, verum decus, & ingenuus animorum cultus amittitur. Nam quo

superest, animi excolendi ratio, nisi ante omnia ad veritatem dicatur, & ex ipsa verum intelligentia, illuc quo jubet ratio, provectus sit. At licet tamen, quandoque & falsa defendendo ingenium exercere. Quo quidem genere etiam Seneca usus, quando in controversiis, quas ipse inscripsit, in utramque partem varia disputat. Neque possunt contraria veritatem admittere. Licet Exercitationis caussa. Est vero alia exercitatio, alia professio. Illi profecto reprehendendi sunt, qui ex professo hoc veluti munus susceperunt, quo ficta cum veris miscendo, Sapientiam a dicendi facultate excludunt. Ac si quando exercitationis caussa falsum tueamur, ita tamen fieri oportet, ut opposita confestim ex altera parte, veritate, suis aeque subsidiis instructa, rectum possit esse, penes Audientem judicium. Quod si eo modo fit, non modo nihil vitii habebit, sed poterit etiam eo valere, ne orationis specie, ac verborum lenocinio, falsum tibi persuaderi sinas.

Ad id venio, quod supra ad positum est, illis, quae sunt modo pertractata. Perniciosam et singulis hominibus & Reipublicis esse existimo, eloquentiam, quam voluit esse sine sapientia. Antiquioris Historiae monumenta ejus rei veritatem comprobant. Quanta enim pestiferum illud orandi studium mala Rebuspubl. conciliavit. Quot seditiones, quot tumultus, quot caedes exuivit, incendit, peregit? Quae caussa fuit, ut honestissimae rei studium, exercentium culpa & perversitate depravatum, propter pericula illinc metuenda, atque turpes, quibus non raro instrumenta, ab illo petebantur, ex aliquot Graeciae civitatibus omnino proscribi satius existimaretur. Porro, quoties consilia agitabantur, si intersunt, valide dicturi, neque secundum veritatem nec justitiam, sed prout cupiditate sua quisque impellitur, aut commodi spe, aut invidia, aut gratia adductus, quid malorum

tum possit e dicendi potestate omni, quisque intelligat. Atque sic optimi cujusque civis fortuna, existimatio, vita denique perniciose dicentium armis subacta, aut prosterne tur, aut certe non sine magno labore eluctari poterat. Quare, si eloquentiæ nomen iis concedi nefas est, qui cives optimos vel ipsam civitatem opprimunt aut perdunt, idque potentissimo dicendi genere, nisi sapientia rexerit, aliquando effectum est: planum arbitror esse, quod statui, Eloquentiam Sapientiæ auxilio prorsus carere non posse.

II., Neque vero sapiens eloquendi imperitus multum prodest; id quod secundo loco posui. Fiet autem apertius, si probavero, Sapientiam, quemadmodum veritatem et justitiam a se habet, ita lumen, gratiam, vim denique ab Eloquentia petendam esse. Concedetis mihi Auditores, ut in se honesta fuerint præcepta, mirum tamen in modum ope orationis efferri. Cujus

quippe est, recte cuncta disponere, explicare, amplificare etiam; quo sunt extra potestatem ejus posita, qui dicendi ignarus est. Namque potest aliquis, recte & bene, & sapienter praecipere; sin orationis instrumenta desunt, quibus demum claritas, & evidentia dictis conciliabitur, parum praecepisse juvabit, quod fortasse ne intellectum quidem, mentem, non movebit. Lumen ergo accedet ab oratione.

Ejusdem beneficio, gratiam habebunt Sapientiae praecepta; est enim ea natura hominis, ut ex intuitu venusti, & pulchri animus afficiatur; e contrario abhorreat, quidquid deformitatis aliquid in se continet. Ac refert plurimum, ut audientium non animi solum, sed ~~co~~ sensus quoque, quoad ejus fieri potest, moveantur; sicque omnes veluti facultates in consensum eant. Venusta autem oratio, & pulchra, quum

Sensui accomodata esse debeat; hoc magis tanc placebunt, quo traduntur Sapientiæ præcepta, quo plus in eo dicendi virium, qui viam illuc comonstrat, animosq; tum intelligendo veritatè, tum rebus rite agendis, ac vitæ muneribus cum fructu comuni hominum obeundis, idoneos reddere conatur. Quod quum ita se habeat, colligendum est, decus Sapientiæ, & ornamentum in Eloquentia positum esse.

Denique vis ~~ipsa~~ ipsa multo major erit in animis, si sapientiæ adjunxeris dicendi quoque virtutem. Nam, tum, quasi in assensum et obsequium sapientiæ, trahetur animus & quo vult ratio, longe facilius sequetur. Id adeo verum, & usu ipso confirmatum intellexerunt, vel antiquiores Sapientiæ ~~præcepta~~ Magistri, ut, quo certius finem sibi propositum obtinerent, ludicra etiam

aliquando, utpote sensibus movendis aptiora arduis & difficilioribus misuerint. Ex quo illud tandem efficitur, Sapientiae studium non modo non adversari oratoriae arti, verum utrumque ita etiam connecti, ut alterum ex altero insigniter augeatur, isque demum vere Eloquens habendus sit, qui addit Sapientiam; utque illius studiosior fuerit, ita dicendo erit validior.